Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

tenebantur eidem. Omnes vero et singulos, qui eidem
Conradino in prediciis prestarent auxilium, consilium
vel favorem; et specialiter Ludovicum Ducem Bavarie,
Comitem Tirolj; Bohum de Dovara, Marchedum Mala-
bat, qui se comitem camerarium nominabat, et Conra-
dum Trinza; quos notorium erat ipsi Conradino in pre-
dictis assistere, ipsumque fovere; -- excommunicationis
-- declaravimus sententiis subjacere: ac nihilominus
de novo ex eisdem causis, exigente proinde dubio ane-
ta eorum ex tanta temporis continuatione perfidia,
similibus sententiis duximus innodandos. -- Verum
profatus Conradinus -- cum armatis Papiam venire
presumsit. -- Nos itaque memoratum Conradinum
denuntiantes ex causis premissis in excommunica-
tionis et alias latas in eum sententias incidisse; de
novo nihilominus ex eisdem causis de fratrum ipso-
rum consilio excommunicamus eundem. Denuntia-
mus insuper eum regno Jerosolymitano et omnijure
siquod habebat in illo, Apostolica auctoritate priva-
tum. -- Insuper presente hac fidelium multitudine
dictum Conradinum aperte monemus, sibique distincte
precipimus, ut infra mensem ex nunc computandum
quem pro peremptorio sibi termino assignamus, humi-
liter ad nostra et Ecclesie mandata redire procuret:
alioquin ex tunc ipsum de predictorum fratrum
consilio reddimus omni tempore inelligibilem, et pro-
ris inhabilem ad regnum quodlibet, vel Imperium
obtinendum: et nihilominus omnibus feudis et ju-
ribus quibuscunque, sicut forsan, a quibuslibet
tenet ecclesiis, privamus eundem. Porro supradic-
tas inhibitiones, comminationes, et sententias in-
novantes, omnes et singulos, qui contra eas quocun-
que modo venerint; et specialiter predictum Ludo-
vicum Ducem Bavarie, Comitem Tirolj; Bohum
de Dovara, Marchedum Malabat, Conradum Trinza,
qui ab ipsius non desistere favore; Fredericum pre-
terea, charissimi in Christo filii nostri Regis Castelle
germanum, qui profato Conradino favendo Insulam
Sicilie, terram memorati Karoli Siciliae Regis invasit
cum complicibus suis, necnon Wilhelmum de Pari-
sijs etc. --- denuntiamus in premissas excom-
municationes, et alias contra fautores ejusdem Con-
radini latas sententias incidisse; ac de novo ex
eisdem causis excommunicamus eosdem. ---